



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

52. An Pontifex possit praeceptum annuae Communionis penitus abrogare?  
Et an Pontifex sine causa abrogaret ex toto, & insolidum praedictum  
praeceptum, quamvis peccaret, valeret tamen praedicta abroatio? ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76359)

mater, 1. part. §. 1. num. 5. & Azorius dicto tom. 1. lib. 5. cap. 1. per totum caput. ubi citat multos, & consequenter docere debent omnes, qui in materia de legibus tenent, Principes obligari de legibus à se conditis, quoad directionem, non quoad coactionem: & hi sunt D. Thomas 1. 2. quest. 96. art. 5. ad 3. Victoria in relect. 3. num. 21. Sotus lib. 1. de iustis. quest. 6. art. 7. Menchaca illustrium questionum, cap. 45. Et ratio est, quia naturalis ratio postulat, ut caput conformetur toti corpori suorum, sicut reliqui Principes Pontificum, ut ad illas quoad à principio iurisdictionem à populo acceperunt, & potestatem condendi leges, ut ad illas quoad vim directionem teneantur: sic Papa, veluti sub hac conditione immediate à Christo accipit hanc eandem potestatem condendi leges Ecclesiasticas, ut ad illas quoad directionem teneatur, non quoad coactionem. Deinde, quia ista lex annuæ perceptionis Eucharistiæ, est lex quædam generalis: & quando Principes legem ferunt generalem, totum populum comprehendentem, ad eandem legem obligantur; quamvis non obligentur ad penam illius: nam, quando materia legis est generalis, comprehendens totum populum, comprehendit etiam caput populi, seu Principem illius: quando verò materia legis non est ita generalis, sed specialis, ut non totum populum, sed partem illius comprehendat, & obliget: tunc quidem ad eam non tenetur Princeps: neque quoad vim directionem, neque quoad vim coercitivam. Quamobrem, si lex esset de non ferendis armis, non de non utendo serico, aut fallaciis puerozum, non obligaretur Princeps: quia materia specialis illius, illum non comprehendit; indecens enim est, & minime conveniens statui, & conditioni Principis inmatum, infociatum, & serico non vestitum incedere. Quamobrem, cum materia legis Eucharistiæ comprehendat omnem populum Christianum, ex iure quodam naturali videtur etiam comprehendere Summum Pontificem, qui est caput illius. Et per hæc patet non bene omnino dixisse Richardum in 2. dist. 17. quest. 4. art. 2. ad 5. & Scotum ibid. quest. 1. art. 1. non teneri Papam sub lehalit ad hanc legem, sed tantum sub congruitate quadam morali, & honestate, ac proinde sub veniali. Et hæc omnia docet Fagundez ubi supra, num. 12. & post illum Trullench in Decalog tom. 1. lib. 3. cap. 5. dub. 2. num. 20.

RESOL. LII.

An Pontifex possit præceptum annuæ communionis penitus abrogare? Et an si Pontifex sine causa abroget in toto, & in solidum prædictum præceptum, quamvis peccaret, valeret tamen prædicta abrogatio? Et an possit Pontifex restringere præceptum ipsius Eucharistiæ? Et an in primitiva Ecclesia fuerit præceptum quotidie communicandi? Et advenitur, quam causè debeant procedere Confessarii in concedenda licentia laicis de communione quavisana. Ex part. 3. r. 1. Resol. 27.

§. 1. Quæstio tribus modis potest intelligi. Primo faciendo, ut non obliget pro singulari, sed pro tribus quibusque, aut pro quinque, aut sex: & quoad hunc modum fortassis non repugnabit, posse Ecclesiam peruenire ad eum statum, vel Regnum aliquod, aut Provinciã, ut ex causa licita, & rationabili id possit Summus Pontifex effi-

cere. Secundo, tollendo omnino Ecclesiasticum præceptum annuæ perceptionis Eucharistiæ: & quamvis Summus Pontifex absolute hoc possit efficere, cum sit supra omne ius Ecclesiasticum, tamen nunquam id poterit licite efficere: quia nunquam potest dari iusta, & rationabilis causa tollendi hoc modo in solidum tam utile, ac necessarium præceptum, licet sit iuris humani, & Ecclesiastici.

2. Unde si sine causa abrogaret ex toto, & in solidum prædictum præceptum, peccaret quidem Summus Pontifex mortaliter; valeret tamen prædicta abrogatio: ut optime animadvertit Soarius citatus, num. 8. sicut etiam valet dispensatio, & exemptio sine causa data, & licite ea uti potest dispensatus ac exemptus, licet dispensans & eximens mortaliter peccet.

3. Tertio restringendo tempus perceptionis ipsius Eucharistiæ, ita ut pluries teneantur fideles ex præcepto in anno communicare, & in diuersis temporibus à Paschate, & non est negandum, id posse fieri ex causa iusta: & quamvis nulla alia subesset, quam fidelium fructus, & utilitas, ea factis omnino esset, modò ea frequentia non cederet in contemptum tam sancti, ac venerabilis Sacramenti: facilius enim poterit Summus Pontifex hoc efficere, quam extendere obligationem huius præcepti ad plures annos; quia facilius causa dari potest ad hanc restrictionem faciendam, quam ad maiorem ampliationem, extensionemque obligationis prædicti præcepti, ut consideranti patebit. Et hæc omnia docet ex Soario, & Azorio, Fagundez de Præcepto Eccles. præcept. 3. lib. 6. cap. 6. num. 6. quibus ego addo Trullench in Decalogum, tom. 1. lib. 3. cap. 5. dub. 2. num. 19.

4. Sed ex verbis paulo superius adductis, discutienda venit difficilis quæstio, An in primitiva Ecclesia fuerit præceptum quotidie communicandi. Affirmant Alesius 4. part. quest. 11. n. 2. art. 4. §. 1. S. Thomas 3. part. quest. 80. art. 10. ad 5. Richard. in 4. dist. 12. art. 6. quest. 1. Sotus quest. 1. art. 11. & reliqui Scholastici communiter: quibus consentit Vasquez disput. 214. cap. 3. & Henriquez lib. 8. de Eucharist. cap. 5. Fundamentum est autoritas Anacleti Papæ, qui successit Clementi: is enim epistola prima ad Episcopos, & fideles omnes, & refertur can. Episcopus, de consecrat. dist. 1. & can. peracta de consecrat. dist. 2. expresse testatur, fuisse præceptum in primitiva Ecclesia quotidie communicandi, his verbis: Peracta consecratione omnes communicent, qui noluerint Ecclesiasticis carere liminibus; sic enim & Apostoli statuerunt, & sancta Romana tenet Ecclesia; qui non solum verbis, sed etiam penam eliminationis ab Ecclesia hoc præceptum exprimit. Idem præcipitur 10. can. Apostolorum.

5. Hæc sententia est satis probabilis, sed contrariam probabilem etiam esse puto, quam tuctur Belatiminius lib. 2. de Missa, cap. 10. ad arg. 8. Suarez in 3. part. tom. 3. disp. 60. sect. 2. Probat hæc opinio, quia non potuissent Christi fideles, præsertim coniugati, ea corporis, & animi dispositione, quæ par est, ad hoc Sacramentum accedere. Cum enim Concilia, ob reverentiam tanti Sacramenti prohibeant, ne coniugati ad sacramentalem communionem accedant ea die, quæ suas coniuges carnaliter noverunt, non est probabile, quòd Apostoli sub præcepto obligare voluerint omnes fideles ad quotidianam communionem. Alioqui vel simul illos obligassent ad semet-abstinendum à coniugali copula, ut dignè potuissent quotidie hoc Sacramentum sumere, quod fuisset matrimonia destruere: vel certe nihil curassent, quominus fideles cum ea

Sup. hoc in tom. 1. r. 2. Ref. 5. & in aliis Ref. 5. & verius primæ an not.

PLANA  
Omnia  
TO. III. IV V  
E. III

animi & corporis dispositione ad tantum Sacramentum accederent, cum qua posteriora Concilia & Patres decreverunt, ut omnes accederent: verosimile autem non est, sollicitiores fuisse posteriores Ecclesie Pastores, quam primos fundatores de hac debita animi, & corporis communicanti dispositione. Et ita hanc sententiam tenet etiam Amicus tom. 7. disp. 29. sect. 3. n. 24. qui respondet ad auctoritatem Anacleti Pontificis, asserendo cum Bellarmino, & Turriano de Canon. Apostol. lib. 1. cap. 2. illum tantum loqui de Clericis, qui assistebant Episcopo solemniter celebranti.

6. In Canone autem Apostolorum, ut explicatur in Concilio Antiocheno can. 2. non precipitur communicatio, sed solum imponitur poena iis, qui ex aliqua superstitione communionem auerabantur, erantque ceteris perturbationi. Adde quod in citato canone, pro ut habetur in primo tomo Conciliorum, non determinatur tempus communionis, sed solum dicitur, quod fideles laici ingredientes Ecclesiam communicare debeant, quod non necessario intelligitur, quod debuerint singulis diebus Ecclesiam ingredi, sed festis dumtaxat diebus. Unde ad summum ex eo solum colligitur preceptum communionis in festiuis diebus. Nec vrgent illa verba Act. 2. *Quotidie quoque perdurantes unanimiter in templo, & frangentes circa domos panem, sumebant cibum cum exultatione, & simplicitate cordis.* Nam haec intelliguntur de sumptione cibi communis, & vtilis, iuxta morem nascentis Ecclesie, quod fideles non solum conveniebant in templo ad sumendam refectionem spiritualem, sed etiam corporalem. Ita Amicus. Videant modò Confessarij quam cautè debeant procedere in concedenda laicis communionem quotidiana. Quicquid asserat Sancius, contra quem merito insurgit P. Perlinas in *sacro Coniugio, dist. 5. per totam.*

Sup. hoc in tom. 1. tr. 2. Ref. 3. & lege eam per totam & hic infra §. 1. 2. & 3. Ref. 5.

RESOL. LIII.

*An Pontifex possit concedere facultatem, ut Eucharistia ministraretur infantibus ante usum rationis? Et an hoc expediat, & teneatur hoc facere, quando infantes sunt in articulo mortis, quia preceptum sumendi Eucharistiam extat etiam de iure divino? Et quid circa hoc factum est in diversis locis, & Regionibus, in textu huius Resolutionis explanatur. Et an si infantes casu inveniunt Hostiam, vel vinum consecratum, & ex gula, vel leuitate puerili sacras species sumerent, acciperent gratiam sacramentalem? Ex part. 8. tract. 1. Resol. 45.*

§. 1. **N**on loquor, an expediat, sed an possit fieri, quod sepe dictum esse volo pro multis casibus superius resolutis & inferius resolendis. Idè ad casum propositum videtur negativè respondendum; vnde Petrus Soto *lect. 8. de Eucharist.* & Catherin. *opuscul. de commun. parvulor.* negant omnino eos esse huius Sacramenti capaces. Et indicat Caiet. *haec quest. art. 11. & dubitat Sotus in 4. dist. 12. quest. 1. art. 9.* Suaderique potest ex Apostolo dicente: *Prober se ipsum homo, & sic de pane illo edat.* Sed qui ratione carent, se ipsos probare non possunt: ergo nec de pane illo edere, & ratio est, quia ad fructum huius Sacramenti requiritur voluntaria susceptio: si quis enim casu comederet hostiam neciens esse consecratam, vtiq; nullum perciperet fructum.

Sup. hoc in tom. 1. tr. 2. lege doctrinam Ref. 7.

Sup. hoc infra lege §. vii. huius Ref. &c.

2. Sed his non obstantibus affirmatiuè sententiæ adhaereo; nam infantes sunt capaces huius Sacra-

menti, & solo posito precepto eis hoc prohibetur. Quod probatur, nam aperte constat in quibusdam olim Ecclesiis consuetudinem fuisse præbendi Eucharistiae, parvulis post Baptismum: Cuius rei pro antiquo tempore meminit Dionys. *cap. 3. Ecclesiast. Hierarch.* & pro medijs temporibus Alcuinus *lib. de divinis officiis, cap. de Sabbatho sancto*, & Vgo de sancto Victore *lib. 1. de Sacrament. cap. 20.* vbi sic ait: Pueris recens natis idem Sacramentum in specie sanguinis est ministrandum digito Sacerdotis, quia tales naturaliter fugere possunt. Vnde Trident. *sess. 21. cap. 4.* inquit: Neque damanda est antiquitas, si cum morem in quibusdam locis aliquando servavit, ut enim sanctissimi illi Patres sui facti probabilem causam pro illius temporis ratione habuerunt, &c. Hoc etiam habetur expressè in ordine Baptismi Aethiopum, qui habetur in tom. 4. Biblioth. Parrum; vbi post Baptismum, & Vnctionem Chriftianis, sic legitur. Postea sumunt Sacramentum sanctum, & viuificant, spondente Sacerdote pro eis, corpus scilicet sanctum, & sanguinem venerandum Domini Dei, & Redemptoris nostri Iesu CHRISTI. Ad marginem vero additur haec notatiuncula: Videlicet si adulti sint; alioqui enim pollicem tantum immittit in Chrifti sanguinem, & eorum lingua inficitur. Quod videtur conforme vsui adhuc hodie perseveranti apud Græcos etiam Catholicos, qui parvulis saltem in agitudine dant Eucharistiam sub una specie, scilicet sub specie vini: vti fit apud Ruthenos, & magis vniuersaliter apud Græcos etiam Catholicos, ut testatur Petrus Arcadius de *Sacramentis Ecclesie Orientalis, lib. 3. cap. 40. & lib. 1. cap. 13.* Ex quibus apparet, cautè satis loqui Catechismum Romanum *part. 2. de Sacrament. Eucharist. §. 62.* dum dicit veterem fuisse in quibusdam locis consuetudinem, ut infantibus etiam sacramentum Eucharistiam præberent. Constat enim ex supra adductis, in omnibus ferè Provinciis vsum illum viguisse: nam in Orientali Ecclesia hodie durat; in Occidentali verò, seu Latina vidimus, Africam, Hispaniam, Galliam, Romam ipsam hunc morem tenuisse, ut omittam Aethiopes & Ruthenos, qui hodie etiam eum ritum obseruant, sed ij magis ad Orientalem Ecclesiam spectare videntur. Quæ omnia ideo attuli; quia P. Suarez *disp. 62. sect. 4. circa medium*, indicat, teneum habere notitiam illius antiqui vsus, illam scilicet, quæ ex paucis locis ab ipso adductis colligi poterat; sed re vera consuetudinem illam fuisse satis receptam, negari non potest, vt ex supra adductis satis constat. Et hæc omnia docet Auerla de *sacram. Eucharist. quest. 3. sect. 1.* & Cardinalis de Lugo *disp. 13. sect. 2. num. 11.*

Sup. doctrina, & contentis in hoc §. in tom. 2. tr. 2. ex Ref. 7. lege §. Sed præcipua.

3. Sed dices, ergo non solum Pontifex videtur posse potestate absoluta dare facultatem, ut infantes communicentur, sed etiam expedire, & teneri hoc facere, quando infantes sunt in articulo mortis, quia etiam iure diuino extat preceptum sumendi Eucharistiam, vt docet D. Thomas in 3. *part. quest. 80. art. 11.* & ibi Syluius, Nugnus, Coninck, Pelantius, Valentia *quest. 8. puncto 4.* Suarez *disp. 69. sect. 11.* Vasquez *disp. 2. 13.* Lugo *disp. 16. sect. 1.* Becanus *cap. 23. quest. 4.* Henriquez *lib. 8. cap. 3. num. 2.* Emmanuel Sa *verb. Eucharistia, num. 1.* Layman *lib. 5. Theol. moral. tract. 4. cap. 5.* Fagundez de *Precept. Eccles. præc. 3. lib. 1. cap. 3.* Angles *quest. 2. art. 9. concl. 1.* Reginald. *lib. 29. num. 57.* & alij.

Sup. hoc infra in Resol. 57. §. Probatur primò, & seq. & in tom. 2. tr. 2. Ref. 1. & in alijs eius primæ not.

4. Probatur ex ipsa Scriptura, illis verbis Chrifti: *Hoc facite*; preceptum enim tunc fidelibus, vt faceret quod ipse tunc dicebat: *Accipite, & comedite.* Illaque iussio ad Sacerdotes quidem refertur, vt conficiant, & suscipiant; ad reliquos fideles, vt suscipiant Sacramentum,